

100 Syrus est prendendus atque adhortandus mihi.
a me nescioquis exit : concede hinc domum 510
ne nos inter nos congruere sentiant.

ii SYRVS CHREMES

SY. Hac illac circumcursa ; inveniundumst tamen
argentum : intendenda in senemst fallacia.

CH. num me fefellit hosce id struere ? videlicet
ill' Cliniai servo' tardiusculust ; 515

5 idcirco huic nostro traditast provincia.

SY. quis hęc loquitur ? perii. numnam haec audivit ?

CH. Syre. *SY.* hem.

CH. quid tũ istic ? *SY.* recte equidem ; sed te miror, Chreme,
tam mane, quĩ heri tantum biberis. *CH.* nil nimis.

SY. "nil" narras ? visa verost, quod dici solet, 520

10 aquilae senectus. *CH.* heia. *SY.* mulier commoda et
faceta haec meretrix. *CH.* sane. *SY.* idem visast tibi ?
et quidem hęcle forma luculenta. *CH.* sic satis.

SY. ita non ut olim, sed uti nunc, sane bona ;
minimeque miror Clinia hanc si deperit. 525

15 sed habet patrem quendam avidum, miserum atque aridum
vicinum hunc : nostin ? at quasi is non ditiis
abundet, gnatus ei(u)s profugit inopia.

scis esse factum ut dico ? *CH.* quid ego ni sciam ?

hominem pistrino dignum ! *SY.* quem ? *CH.* istunc servolum 530